



Disputatio politica extraordinaria de bello

<https://hdl.handle.net/1874/340901>

DISPUTATIO POLITICA
EXTRAORDINARIA.

D E

B E L L O.

Q U A M
Divino favente Numine

SUB PRAESIDIO
Clarissimi Doctissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI,
Lib. Art. Mag. & Philosophiae in Almâ Rheno-

Trajectensem Academiâ Professoris Ordinarii,

Publicè defendere conabitur,

PETRUS ab EYNDHOVEN Rheno-Trajectinus.

Ad diem Martij, horâ locoque solitis.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK,

ANNO M. DC. XLVI.

Nob: Amplissimo, Consultissimoque
V I R O

D. D. GISBERTO
Vander HOOLCK,
I. V. D. per annos com-
plures Reipub. Ultra-
iect. Consuli, nunc no-
mine istius Reipub: in-
ter ordines Generales
Provinciarum Unitar:
Belgii Deputato, Co-
gnato æternùm colédo,
observando:

Hocce exercitium Politicum

Submissè offert.

P E T R U S A B E Y N D H O V E V N,
Anthonij & Reff.

D I S P U T A T I O P O L I T I C A
E X T R A O R D I N A R I A

D E

B E L L O.

T H E S I S I.

ACtus de Bello, vocis inspicienda est notatio, hanc
varii tradunt variam; bellum autem *καὶ ἀνίσερον* di-
ctum volunt, quasi minime bellum. Alii à bellis,
quia belluarum, non hominum sit perniciosa dissensio. Dictum
insuper existimant quasi duellum, quia licet multi sint milites,
duae tamen necessario sunt partes, quibus de victoria conten-
tentibus dimicatur. Aliam alii, nobis præ cæteris has eligere
placuit, præsertim postremam.

II.

Bellum jam an sit, quis est qui dubitet, cum & hoc testari i-
psa non denegat Europa. Quid vero sit, non minus olim Alba-
natyrannis, quam nunc multorum fatali hac erynnide concus-
orum præsentissimus status docet. Est autem, ut cum poëta
loquar, *diræ mortis aperta via*. Circa hoc tria sese consideranda
nobis offerunt, suscepitio, administratio, finitio.

III.

Suscepitio, imprimis ne sit evitetur temeraria. Est au-
tem res magnæ indigens sapientiae, quocirca consilij &
gravissima opus deliberatione, quia pudendum cum sit facinus,
ex hominibus unum inlustre necare, quantum, quale, tot & tantas
occidere gentes pernicioſissimum scelus; ubi gaudens Bellona

eruentis colitur, &c., ut in sylvis feræ, fluminibus pisces, ære volucres, sic hominum homines exponuntur carnificinæ.

V.

Ad hanc igitur, ut sit legitima, requiruntur duo, causa vide-
licet externa & interna. Per externam ipsum Magistratum, seu
Principem, per internam ipsam causam justam, Magistratum
Principem ad bellum suscipiendum impellentem, designa-
mus. Hæcque impulsiva in universum gravis sit injuria, non le-
vis, dubia, antiqua, oblivioni fermè tradita.

V.

Justas igitur belli suscipiendi nominamus causas, fœderum
puta violationem, Principi, Legatisvè illatam contumeliam, eo-
rum, quæ nobis, nostrisque jure gentium debentur, denegatio-
nem, bonorum direptionem, regionis vastationem, &c.

VI.

Neq; verò nos hæc eò dixisse quis putet, quæsiuna harum ex-
orta, bonorum puta ex parte direptione, è vestigio, absqueulla
mora, manibus pedibus ad arma sit concurrendum: minime,
verum è contrario circumspicere agendum, ne ut canibus, sic
bellum inchoaturis, nimia noceat festinatio. Quid autem V. g.
judicio sese sistat quispam, Tum veò & arma sistenda judica-
mus. Nefas enim in eum, qui jure agere & satisfacere paratus
est, bellum sumere, tanquam in injurium.

VII.

Universè itaque, gravem injuriam, cum necessitate conjun-
tam, justam belli suscipiendi causam esse affirmare non eru-
bescimus, considerata quidem ita necessitatis voce, cum esse
non licet, nisi inferatur bellum.

VIII.

Verum cum assecilis dicat Anabaptistica soboles, licet justo
justa suppeditetur causa, bellis tamen bona & illæsa conscientia
inesset non potest, quia bella gerere directè pugnat cum Serva-
toris dicto Matthæi cap. 5. vers. 39: Ne obsistite improbo,
sed quæte in dexteram maxillam cedet, obverte ei & alteram. Et
alibi,

alibi, *Non occides*. Deinde, repugnat humanæ naturæ, arma
tractare, utpote quæ est mitis & placida, non munita, ut tauri-
rum rabies cornibus, ut aprotum dentibus, ut leonum unguibus.
Quocirca nefas, ni bellus magis bellua velit esse homo, ut im-
probitatem alat, innocentem vexet, rapinis, cædibus, stupris o-
mnia commisceat, patrium denique solum omnium cum de-
testatione funditus evertat, atque ex libertate, rerumque floren-
tistatu, in perpetuam redigat servitatem.

X.

Resp. primo, verba illa privatam, non publicam indigetare
vindictam. De priore si intelligantur, argumentum procedere,
de posteriore secus se se rem habere. Neque etiam tam Politiæ
formandæ, quam quidem spirituale Christi regnum insti-
tuendi rationem ex Apostolicis scriptis ista tenus esse peren-
dam.

X.

Secundo, licet mitis & placida sit humana natura, nihil tan-
men hæc officere, quo minus justis justo bellis inesse liceat:
Quia qui ipsius Dei mandatis obtemperaverit, haud aberraver-
it, atqui si justum gerat bellum, obtemperat Dei mandatis:
Ergo. Quod ut sit evidens 8. cap. *Iosu*: vers. 1. 1 *Samuel*: 23.
vers. 4. quæ & alia passim loca lectori inspicienda relinquimus,
ubi directè Deus præcipit. Nos, cum facilis hujus avernī descen-
sus, revocamus gradum.

X I.

Sequitur itaque administratio, quæ, ut sit proba, imprimis
unus sit summus in bello dux, quia, si multi æqualis essent potes-
tatis, vel nullum tunc esset regimen, saltem incertum, discor-
diis obnoxium. Plurimi enim imperantes, [ut ajunt,] perdidere
Cassiam. Summum proinde habeat unus imperium, si feliciter
velit administrari bellum.

X II.

Requisita in eo præcipue sint quatuor: scientia nempe rei
militaris, virtus, autoritas, quibus accedat felicitas.

XIII.

Hiccejam princeps aut dux munitus , ea, quæ maxime sunt necessaria, mature præparet, arma tum ductilia, tum vectilia, comœtum, & cuius non obliiscatur, nervum belli pecuniam: sine hac autem bellum constare vix posse, contendunt inter alios Politici.

XIV.

Videat, prævideat, ne penuria magis quam pugna consumat exercitum. Vixius itaque procuret sufficiat. Nam sine ferro vincit, qui frumentum, aliaque bello necessaria haud curaverint, multorum docuit miserrimus eventus.

XV.

Deinde tympano, tuba, aliove indicio, pedites equites convocentur milites, ut tum his, tum illis, prout locorum exigit opportunitas, possit uti. Convocati certis catalogis, addita ad nomen patriæ, annotentur, annotatorum tum persona, tum arma lustrentur, explorentur: ne ut apti, sic retineantur inepti, hi serventur, illi repudientur.

XVI.

Spectentur itaque in milite potissimum quatuor, ætas, corpus, animus, vita seu mores. Aetas sit juvenilis & vegeta, compactum, robustum corpus, præsens, acer, nec minus patriæ benevolus animus, vita denique ne sit infamis, scelerata, impia,

XVII.

Quibus peractis accedat auctoratio, corporale præstanto jumentum, idque tale, se sancte leges & jura belli conservaturos, imperatori quoad justitiam & æquitatem morem gesturos, militiam invito eodem non deserturos, disciplinam militarem non turbaturos, urgente necessitate pro patria nec mortem recusaturos, imo appetituros.

XVIII.

Adhæc, infeliciter bellum si gerere nolit, curet, procuret princeps,

ceps, ne tam multitudo; quam armorum tractandorum spectetur
peritia, quocirca milites, tum pedites, tum exerceat equites. Pe-
dites, militarem gressum & incessum oblevare, castra munire,
constituere, vim armis conferre, declinare, excipere, ordines &
intervalla in acie custodire, servare, agmen laxare, nec congloba-
re nimis, doceat, equites, equum expeditè ab utroque latere ascen-
dere, dexteritate deslire, in cursu sat concitato arma gubernare,
inter tonitrua bombardarum, armorumque strepitus, equum
frænare, agmen servare: In genere, vigilare, laborare: solem,
frigus, famem, aliaque incommoda perferrere.

XIX.

Exercitum jam si paratum habeat, bellumque decernat' prin-
ceps, & hujus sit memor, divinum ut invocet auxilium, huic non
militibus præcipue fidat. Deus enim (Deut. cap. 23, vers. 14.)
indesinenter ambulat in medio castrorum, etripiendo &
exponendo hostes hostibus: quocirca hoc finiat', hoc in-
cipiat'.

XX.

Vires præterea, tum hostium, tum suas subducat, auxilia quæ
possit, non possit habere, cogitet, mala & clades, quæ bellum
comitantur, consideret, illud cogitans, dubiam esse Martis
aliam.

XXI.

Bellum deinde antequam incipiat, indicat: Siquidem non sol-
lum justè suscipere, verum etiam justè gerere & tractare oportet.
Hæc Dei vox, hæc ratio naturalis, ut antequam hostiliter aga-
tur, renuncietur amicitiae. Indictione itaque opus. Nam absque
hac vel Marti aperto, vel insidiis locum dari, injustum esse quis
neicit?

XXII.

Indictum jam antequam moveat, primo naturam sibi loco-
rum habeat perspectam, ne incognitis hostilis ditionis locis, in-
hostium incurrit insidias, tam etiam exitus, quam introitus ut pa-
teat via, prævideat.

Caveat

XXXIII.

'Caveat, præcaveat, ne temere aggrediatur hostem, verum occasione captata fiat procuret impressio, cum noverit itinere esse lassos, defessos, fame vel siti confectos, aliove modo perterritos, securos, non cogitantes.

XXXIV.

Ad prælium, tum provisum, tum improvisum, sit paratus, nunquam vero ex voluntate hostis ineat, sed consilii, loci, temporis opportunitatem in tam gravissima re, ubi summa interdum belli veritur, respiciat.

XXXV.

Parcat etiam, quam fieri poterit, militibus, si quidem diabolica illa censemur principum ingenia, quæ canum instar considerant hominem, suumque militem leviter, imo nulla interdum habita circumstantiarum ratione, miserrimè trucidationi & mactationi objectare solent. Humanissima vox Scipionis, dicentis, se malle unum servare civem, quam mille occidere hostes: Nec minus Luculli, se malle unum militem suum ex hostium eripere manibus, quam universas sibi hostium vendicare fortunas. Sic omnes utinam!

XXXVI.

In prælio vulneratorum æquè ac mortuorum habeatur ratio. H̄i reficiantur, sanentur, illi sepeliantur, humentur, ut ita reliquorum animos tanta humanitate ad pugnam alacriores incitet.

XXXVII.

Dimicaturi recte sese præparent milites, & imprimis panicus ablit terror præcaveatur. Dux interim masculine præliaturos, & inter præliandum suos animet, hinc inde obsequitet, milites ubi opus fuerit, fistat, incitet, occurrat, retrahat, actu denique omni hostibus insignis, conspicuus suis.

XXXVIII.

Prælii consequens latum est victoria, quæ & belli finis, quam adep-

adeptam non sibi, verum Deo T. O. M. adscribendam princeps
judicet, gratiasque ei in publico persolvendas, quod tantam ejus
auxilio reportaverit victoriam.

XXIX.

Adepta jam, moderata, leniter, utatur. Ea enim præclara est
victoria, in qua plus clementia quam crudelitatis est. Quocirca
victor cane pejus & angue insolentiam & superbiā effugiat,
ita tamen, ut eam persequatur, ne in ipsum, quod olim in Hanni-
balem, jaetetur dicterium. *Scit sincere Hannibal. Victoria necessa-*
ritio.

XXX.

Genti jam subactæ imponat milites, hi custodiæ, tutela, &
defensioni locorum præsint, ut ita melius in officio eam conti-
nere queat, nullumque ipsi postea rebellionis metuendum sit pe-
riculum, hoc tamen caveat, ut, qui mittuntur, pacifice cum ea
vivant.

XXXI.

Subactorum etiam hæc sit conditio, ut victoris se se accom-
modent voluntati, atque impositam ferant pœnam: alia autem
devictorum, alia sponte alicujus imperio subjicientium,
sors est.

XXXII.

Postquam jam ex animi voto feliciter successerint omnia, ne
ob res secundissimas elatior aut gravior videatur, evitet Prin-
ceps, amabilis quin potius, & comiter benigitatem exhibeat
omnibus. Prius odium, posterius amorem conciliat.

XXXIII.

Deinde licet magna, imo major Principis potentia, ta-
men ad pacem facile flectatur, moveatur, modo ea sit secura,
tuta, honesta, æqua, simplex, & candida: turpi autem pace,
etiam mors videtur potior, tutiusq; bellum apertum, suspecta
pace.

San-

XXXIV.

Sancita denique semel pax, servetur, conservetur, nec ullum quod ad magis stabiliendam pacem conducat, negligatur medium. Atque ita hic erit optimus bellorum terminus, hic optimus, optatissimus bellorum finis.

COROLLARIA ETHICA.

1. *An cupiditas semper sit cum dolore conjuncta?* Aff.
2. *An Tabaco, aqua fortis, seu aqua vitae, ut alimentis uti liceat?* Neg.
3. *An abstinentia, que datur in eunuchis, leprosis, & impuberibus, recte possit dici Virtus Temperantia?* Neg.
4. *An Patriarcha, qui diuersas sibi in uxores elegerunt, sint dicendi intemperantes?* Neg.
5. *An in extremo necessitatis casu esurienti panem, nudo uestes libeat subtrahere?* Neg.
6. *Saltem, an non resci carnibus humanis?* Neg.

OECONOMICA.

1. *Consensus ne an vero concubitus faciat Matrimonium?* Aff. Prius Neg. Post.
2. *An, licet ad raptum consentiat puella, tamen committatur raptus?* Aff.
3. *An in gradibus iure divino prohibitis, hominum, vel potentissimorum, dispensatio locum habeat?* Neg.

4. An

4. An ad matrimonium aequa matris ac patris requiratur consensus? *Dist.*
5. An parentum consensus sit de necessitate matrimonii? *Aff.*
6. Queritur ulterius, an etiam sit de essentia sive substantia matrimonii? *Neg.*
7. An illud matrimonium, quod absque parentum consensu est contrarium, sit justum, presertim si parentes rectas & probabiles suae dissensus causas habeant? *Neg.*
8. Adeoque, an liberi qui ex tali matrimonio suscipiuntur, sint legitimi? *Neg.*

POLITICA.

1. An liceat adversus hostem macinari stratagema? *Aff.*
2. An bello captos, presertim si ab iis belli metuatur redintegratio, liceat occidere? *Aff.*
3. An oculorum effosione, manuum precisione, pedum amputatione in hostes graffari sit licitum? *Neg.*
4. An non, saltem cum jus talionis id ipsum ut penam exigit? *Aff.*
5. An Magistratu*m* iniqua ant haereses pricipienti*s* sit obediendum? *Neg.*
6. An Vasallus, qua Vasallus, sit de numero subditorum? *Neg.*

Fami-

Familiaritate junctissimo,
D. PETRO ab EYNDHQVEN,

^{DE}
B E L L O

Bellum moventi.

Pacepta Marti serò docta dictas,
 Impiger Auriacus
 Victis Scambris desit
Bellare; verùm, si futura prospicis,
 Sat citò providus es,
 Messi sequenti providus.
Isthac Minerva cepta laude digna sunt,
 Martis & artis opus,
 Utrique Pallas präsidet.
Huc Phœbus, & Marti comes furens soror,
 Et reliqui venient,
 Sic dante fato, disputa.

Offerebam

GISBERTUS BENNINGH,
S. S. L. L. Stud.